

Medicamentum, non polychreston, sed panchreston, (alias universale dictum) revelat, elegisque Latinis decantat / Ianus Irenaeus Soliscus.

Contributors

Closs, Johann Friedrich, 1735-1787.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Tübingen] : [publisher not identified], [1783]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qwzap7fe>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

7

MEDICAMENTVM,

non πολὺχρηστον,

sed πάγχρηστον,

(alias vniuersale dictum)

R E V E L A T,

ELEGISQVE LATINIS DECANTAT

IANVS IRENAEVS SOLISCVS.

K

H O R A T I V S.

PARTVRIVNT MONTES,

nascetur ridiculus

mus.

Quod medicamentum tuto et velociter omnes

Morbos, qui vexant corpora nostra, domet,

quem scire iuvat, (quem non hoc scire iuuabit?)

Me legat, et, lecto carmine, doctus erit.

atum, Phoebe, pater, medicinae, Phoebe, repertor,

Huc ades, et duplici numine, Phoebe, faue.

Saepius esse mala inter se contraria morbos
Corporis humani, iure SERENVS *) ait.
Nonne igitur nimio videar promissor hiatu,
Et meritis vulgi risibus excipiar,
Qui medicamentum, quod in omnes proficit ad vnum
Morbos, et fervet corpora sana, miner?
Contra haec in promptu solida est responsio nobis.
(Sed res arrectas postulat auriculas.)
Morborum effectus si quis praeuenerere nouit,
Illos hac ipsa pellere nouit ope.
Non ipsi morbi, sed quae nascuntur ab illis,
Scilicet aegrotos praecipitare solent.
Iam si mente tua morbos lustraueris, omnes
Dumtaxat duplici conditione nocent.
Aut vitium succis innascitur, atque misellum
Corpus paullatim foeda putredo vorat:
Aut solidae partes languescunt, membraque, quondam
Fortia, vi morbi debilitata iacent.
Hinc vero clare, quale id medicamen, ad omnes
Quod valeat morbos, debeat esse, patet.
Arceat a succis putrorem, deinde vigorem
Adiiciat solidis partibus vsque nouum.
Sed quod vi tanta pollet medicamen? Vtramque
Virtutem cortex Peruvianus habet.
Hinc putredo fugit, vires hinc membra capeffunt,
Iure vt mireris, cur moriatur homo,
Cortice diuino quem nutrit turba medentum,
Immensum inculcans nocte dieque modum.
Detexi validum morbos medicamen ad omnes.
Debetur capiti querna corona meo.

*) Q. SERENI SAMMONICI *de medicina*
praecept. Cap. LVI. v. 2

MEDICAMENTI

ΠΑΓΧΡΗΣΤΟΥ,

ab

IANO IRENAEO SOLISCO

nuper reuelati,

APOLOGIA.

Ille ego, qui nuper, Phoebo duce et auspice Phoebo,
Exiguos elegos de cortice Peruviano
Scripsi, et diuinam, morborum qua genus omne
Pellit, vim dignis celebraui laudibus, inde
Quernam ob seruatos ciues mihi iure coronam
Pollicitus fueram: sed me spes illa fefellit.

Clamque palamque meos Medicorum liuida turba
Rodere versiculos, iactareque verba canina
Certat, et indignum, Medici venerabile nomen
Qui gestem, clamat. Non, inquit, verus agyria
Est, ne quid grauius dicam, miser iste SOLISCVS,
Qui medicamentum nobis, quod protinus omnes
Debillet morbos, iactanti venditat ore?

At Vos, Vos ipsi, Collegae deuenerandi,
Illud monstrastis mihi, nec pro munere tanto

Vnquam cessabo, donec mihi vita manebit,
Summas, quas potero, Vobis persolvere grates.

Dam pridem studeo cognoscere, quomodo morbo
Curetis, laetus detexi, in Peruviano
Cortice solo omnes spes Vestras esse repositas.
Vera loquor. Testes adsunt mihi pharmacopolae,
Vix vnum multis aegrorum e millibus esse,
Qui non, quocunque ex morbo concedere fatis
Cogitur, ad Manes, et Ditis tristia regna,
Ventrem, inculcato bene fartum cortice, portet.

Vestram si quis opem poseit, mox praepete cursu
Tamquam venantes leporem capreamve, volatis,
Et, respirandi simul atque est reddita vobis
Copia, submisso vultu blandaque rogatis
Aegrum voce, velit dextrae permittere tactum,
Quo Vobis liceat venam explorare micantem.

Nunc haec aut raro, aut crebro, micat, et modo foris
Tangentes digitos pulsat, modo debilis ictus.

Si crebra, aut valida, est pulsatio, dicitis aegro
Magna, crede mihi, (mentiri arteria nescit)

Correptus febre es, nec res vacat ista periclo.

Seis, nullum, exceptis, quos mors violenta peremit,

Febre sine ad Cereris generum descendere: febris

Ergo sola homines necat, ut, qui pellere febrem

Nouerit, instantem quoque norit pellere mortem.

AUXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANVS.

Sume hunc, hic sumtus febrem mortemque fugabit.

At si debiliter venam raro ve micantem

Sentitis, vultu, magna et praeclara minante,

Dicitis: Exiguae superant in corpore vires,

Atque repentinam minitantur cuncta ruinam.

AUXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANVS.

Sume hunc, amissum valet hic reparare vigorem.

Neruorum morbis nullos magis esse frequentes,

Praecipue in sexu sequiori, nemo negabit.

Quippe ipsae hoc credunt aegrae, aegrarumque ministrae,

Et (nostis) non est his contradicere tutum.

Quantum haec non Vobis adportat opinio lucrum!

Nam mala si fusa varia et diuersa queruntur,

Quae, quamuis animi nervos intenditis omnes,

Quo de fonte fluant, numquam reperire potestis,
Dicitis: infirmi Tibi sunt, Domina optima, nervi.
AVXILIVM NVLLVM EST, NISI CORTEX PERVVIANVS..
Sume hunc, eximio nervos hic robore maectat,
Atque ideo, quae Te vexant, mala cuncta domabit.

Accedit mulier, cui menses parcius aequo
Promanant, quaeque hinc incommoda plurima sentiunt;
Dicitis: In venis tibi sanguis oberrat aquosus,
Pallida quem facies nobis demonstrat aperte.

AVXILIVM NVLLVM EST, NISI CORTEX PERVVIANVS..
Hoc sumto, rutili tibi copia iusta cruoris
Nascetur, iussisque fluent tua menstrua riuis.

Altera succedit, nimio cui flumine sanguis
Ex utero fertur, fatumque minatur acerbum,
Dicitis: Insigni tua debilitate laborant
Vasa, ut vitalem nequeant retinere liquorem.

AVXILIVM NVLLVM EST, NISI CORTEX PERVVIANVS..
Sume hunc, hic, laxis vteri nova robora fibris
Addens, immodicos eius restringere fluxus,
Et iam iam fugientem animam reuocare valebit.

Est, quem discruciant stomachi sine fine dolores,
Atque ingestorum reiectio crebra ciborum.

Dicitis: Inualidum stomachum tibi cernimus esse,

Atque ideo sumtas male concoquis ac vomis escas.

Nec vero longam poteris tu viuere vitam,

Ingens ni veniat stomacho fultura labanti.

Huius enim validus firmat tenor omnia membra:

At contra eiusdem franguntur cuncta dolore,

Vt recte docuit sententia dia SERENI. (*)

AUXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANVS.

Hunc tamquam panem si sumes cottidianum,

Non tantum acceptas stomachus bene concoquet escas,

sed quoque cessabunt vomitus faeuique dolores.

Scorbuti si quis queritur se labe teneri,

Quae sanos paruo corrumpit tempore succos,

Unde trahunt solidae vitii contagia partes,

Dicitis: Huic diro, perimit qui corpora, morbo

AUXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANVS.

Hinc putror fugit, hinc redeunt noua balsama succis.

In

(*) *De medicina praecept. Cap. XVIII. v. 3. seq.*

Innumeros alios possem producere morbos,
In quibus hoc vnum tantum modo dicere suessis:
AVXILIUM NULLUM EST, NISI CORTEX PERUVIANVS.
Verum hi sufficiant. Alio dabo tempore plures.
Interea Vobis, Collegae deuenerandi,
Ἐν πρᾶτλειν toto ex animo opto καὶ ὑγιαίνειν,
Et me ipsum Vestro totum commendo fauori,
Quem semper nitar quauis ratione mereri.

7a.

IANI IRENAEI SOLISCI

CARMEN

DE

INVIDIA,

VITIO MEDICIS PROPRIO.

Ex

PLAVTO.

Qui, quae vult, dicit, quae non volet, audit idem

Liuida quod nuper mihi dicta est turba medentum (*),

Id Collegarum non paucos ferre moleste,

Vindictamque grauem, cui tanta proteruia linguae

Det meritas poenas, meditari, fama susurrat.

Quid faciam? An supplex, me peccauisse, fatebor,

Et culpa veniam submissa voce rogabo?

Non equidem faciam. Nil sum, nisi vera, locutus,

Et mille id possunt exempla probare, sed vno

Nunc contentus ero, quoniam satis inde superque,

INVIDIAM VITIVM MEDICIS PROPRIVM esse, patebit.

Venerat huc Medicus quidam, quem nomine IANI

Adpellare lubet, patria Germanus. (At ipsum

Hoc genus in primis inuisum est.) Ille per octo

Annorum spatium, Sophia duce, et auspice Phoebus,

Rerum naturae ratriones, deinde malorum

Corporis humani causas, et signa, viasque

Curas.

(*) *Apolog. medicam, παρὰ χε. v. 7.*

Curandi, nec non, quae virtus esset in herbis
Ac mineris, et qui victus conduceret aegris,
Mente laborarat cupida cognoscere, iamque,
Fidi consiliis vsus monitisque Magistri,
Vltra annum in patria medicinam fecerat vrbe,
Ac summos Artis merito impetrarat honores.

Ille igitur postquam huc venit, de paupere plebe
Mox plures, morbis pressi grauioribus, adfunt,
Auxiliumque rogant, curam quibus ipse fidelem
Nauans, haud paucos sanat, multisque leuamen
Non mediocre adfert. Tam faustos fama filere
Successus nescit, sed tota praedicat vrbe,
Aduenisse nouum Medicum, qui pluribus aegris
Magnos depulerit morbos. Clarum ille repente
Consequitur nomen, nec iam plebs sola, sed ipsi
Primores etiam, morbis si quando laborant,
IANO, quam reliquis Medicis, se credere malunt.

Non fert hoc liuor, sed saeuo spicula felle
Tinguit, et in IANVM letales dirigit ictus.
Impia Collegae coeunt in foedera, nec se

Esse quieturos iurant, nisi funditus illum
Euersum dederint. Paulo post nobilis aeger,
(Quem plures Medici longo iam tempore frustra
Curarant, quoniam causam reperire latentem
Non poterant) IANVM arcessit, curaeque venire
Ut velit in partem, blande rogat. Ille paratum
Consiliis sociis se dicit. Mittitur ergo,
Qui Medicos aegri vocet intra tecta priores,
Consilium ut capiant, IANO praesente, vetustus
Quo tandem expelli possit medicamine morbus,
Aut, si illum docta pateat plus arte valere,
Vnde aliquot saltem liceat sperare leuamen.
Hi vero curae socium sibi iungere IANVM
Consensu vnanimi renuunt, neque se, nisi IANO
Dimisso, aegrotum visuros esse minantur.
Territus ille minis, nec se committere IANO
Soli ausus, Medicos mauult retinere priores.
Successu hoc tumidi, parili ratione cubantum
Complures alios prohibent, ne quaerere IANI
Auxilium possint, curisque salubribus uti.

Ergo, quod facile reputes, haud magnus eorum,
Qui vel diuitiis florent, vel stemmate claro
Sunt orti, numerus Medicum vult sumere IANVM.
Nam paene opprobrium est, si non numerosa medentum
Turba simul tales aegros, qui fundere nummos
Immensos possunt, curet, largaque ministret,
Quae pretio immani constant, medicamina dextra,
Donec eos rapiat durae inclementia mortis.

Sed sua, parua licet, fortunae munera IANO
Sufficiunt, neque opes magnas conuerrere quaerit,
Exiguo vitam adfuetus producere sumtu.
Non onerat mensam perdix, non turdus obesus,
Non capreae, aut lepores, aut apri, donaque Bacchi
Absunt, longinquis quae nauta aduectat ab oris.
Quiuis acceptus cibus est, et potio quaeuis.
Bis satur esse die si possit, nil cupit ultra.
Nec gaudet splendens pretioso incedere amictu,
Haud curans, vtrum vestis bombycina corpus,
Vilior an pannus sibi contegat. Vnde nec vllis,
Queis alii aegrotos captant, vult artibus uti.

Aurea nam fixa est animo sententia Celsus,
Curari multos qua posse negavit ab vno (*).

Saepe mihi dixit: (Thesea pectora nostra
Iuncta fuere fide) Tu, dulcis Amice, quod optas,
Consiliis nostris plures utantur ut aegri,
Nosque ita commodius possimus vivere, nostri
Id voti non est. Medicum decet esse fidelem,
Curisque assiduis aegri inuigilare saluti.
Iam tali officio, dic, fungi quomodo possit,
Qui, simul atque suo sol lustrat lumine terras,
Aegrotos visit, nec visere desinit ante,
Quam nox obtenta coelum caligine condat.
Nonne, domum referens lassata labore diurno
Membra, ubi vix aliquid potus gustavit et escae,

Protinus

(*) *Lib. III. Cap. III. pag. 110. ed. LEONARDI TARGAE.*
Dignus est locus, quem totum heic exhibeamus. *Ex his autem
intelligi potest, AB VNO MEDICO MULTOS NON POSSE CURARI,
eumque, si artifex est, idoneum esse, qui non multum ab agro
recedit. Sed, QUI QUAESTVI SERVIVNT, quoniam is maior ex po-
pulo est, libenter amplectuntur ea praecepta, quae sedulitatem non
exigant.*

Protinus in molli sese componere lecto,
Et recreaturos properabit carpere somnos?
Vt iam triginta tantum modo viderit aegros,
(Nosti, qui centum consuerint visere) nonne
Diuerfos illum morbos vidisse, necesse est?
Ex his diuersam poscit sibi quisque medelam,
Nec raro causas densae occulere tenebrae,
Quaeque laboranti sperauit profore, laedunt.
Haec et plura alia intenta perpendere mente
Debebit Medicus, cui sancte munus obire
Mandatum cordi est. Facere hoc sed quando vacabit
Illi, cui multi visendi sunt simul aegri?
Denique, cui moles incumbit tanta laborum,
Vnde horas rapiet, queis COVM, queisque GALENVM
Nec paucos alios, quos saecula prisca tulere,
Hisque simul multos, qui nostra aetate medendi
Artem illustrarunt, attentus voluere possit?
Iam tibi, credo, probe perspectum est, quid sit, eodem
Tempore cur paucos aegros nutrire praeoptem.
Quamuis pauca petat sibi IANVS, nec, nisi pauca

Ipsi contingant etiam: tamen his quoque paucis
Grex Collegarum infontem spoliare laborat,
Nec varias technas adhibere veretur, ut illum
Suspectum ciues habeant, vltroque relinquant.

Olim forte grauis Vir IANVM laudibus ornat.

Continuo ardescunt faeui atro felle dolores,
Iamque malae erumpant linguae conuicia, verum
Debita laudanti veneratio comprimit ora,
Irasque indomitas artis compefcit habenis,
Ne tamen inuisas patiantur crescere laudes,
Dicunt: Indoctus non est nouus ille Machaon.

Graecos namque libros pariter legit atque latinos,
Quin etiam versus facit, atque epigrammata scribit (*),

Queis

(*) Plurcula horum epigrammatum possideo, ex quibus
vnum, speciminis gratia, subiiciam.

De

duobus Professoribus emeritis.

Ingenti nuper Thomas cum laude per octo
Lustra Professoris munere functus erat,
Quum, vires tarda sensim minuente senecta,
Illud deponens, otia grata petit.

A 5

Mox

Queis illos, per quos se laesum concipit esse,
Exagitat, mordet, deridendosve propinat.
Num vero et nostram praeclare calleat artem,
Nos ignoramus. Neque enim bene nouimus illum.
Plebi si credas, Medicos supra eminet omnes.
Sed plebem gratis fere curat, et haec, quia fostro
Soluendo non est, id laude repensat inani.
Ciuibus a reliquis, qui verum corde sagaci
Explorare sciunt, laudum praeconia tanta
Frustra exspectabit, siquidem minus arte peritum

Cree

Mox docti plures cupiunt succedere Thomae:
Sed Procerum fauor hoc ornat honore Petrum.
Iamque Petrus tota cantatur in vrbe Professor,
Atque nouo titulo perplacet ipse sibi.
Aduenit interea tempus, quo, more priorum,
Auspiciu capiat muneris ille sui.
Tunc vero id subito properat deponere, verum
Sic tamen, vt tituli possit honore frui.
An nunc emeritus dicetur vterque Professor?
Haec mox a multis quaestio mota fuit.
Si liceat nobis, censebimus: Esto Professor
Thomas emeritus, sed Petrus immeritus.

Credunt: quae ratio est, quare tam parvus eorum
 Sit numerus, qui audent eius se tradere curae.
 Toto namque die quos vifit, vix totidem funt,
 Quot menses, per quos abfoluitur annuus orbis.
 Et dubitare licet, num tanta peritia IANI
 Effè queat, quantam imprudens plebecula iactat.
 Vita homini brevis eft conceffa, fed altior artis
 Noftrae cognitio multos fibi postulat annos (*),
 Ac, fi quis Pylliae viuendo faecula fenectae
 Vicerit, vsque tamen, quod adhuc ignoret, habebit.
 Nullum igitur poteris Medicum adpellare peritum,
 Omne in difcenda nifi tempus collocet Arte.
 Sed IANVS multas prifeis auctoris horas
 Impendit, quamuis nil inde petatur, ad artem
 Quod medicam faciat. Nam, febrem quomodo tollas,
 Nusquam MAEONIDES te VIRGILIUSVE docebit.
 Edicimus, patria quod IANVS fede relicta,
 Maluit ignotae fieri nouus incola terrae.

Sed

(*) EX HIPPOCRATIS *Aphorismo primo*: ὁ βίος βραχύς.
 καὶ τὴν τέχνην μακρὴν.

Sed doctos Medicos etiam Germania quaerit,
Ac, si quos reperit, magno dignatur honore.
Cur igitur, Medicos alios si praeterit omnes,
In patria obscurus latuit, quidve obstitit illi.
Praemia ne tantae doctrinae digna referret?
Sed concedamus, IANVM Medicum esse peritum:
Iure tamen nobis contendere posse videmur,
Non sapere ex nostris, eius qui seque suosque
Committant eurae, sed aperta subire pericla.
Omnibus HIPPOCRATIS (*) nota est sententia, nusquam
Terrarum morbos recte curare medentem,
Aëra ni norit regionis, aquasque, locosque.
Cuncta haec quo pacto potuit cognoscere IANVS,
IANVS, qui, patriam fugiens, plus millia centum
Diuisam, nostras nuper modo venit in oras?

His technis aliisque student euertere IANVM.
Ille autem interea non infeliciter aegris,
Praecipue, mala quos exercent longa, mederi

Tran-

(*) In aureo libello, qui περὶ αἰσῶν ὑδάτων, τόπων,
inscribitur.

Tranquillus pergit, gaudetqueadolescere famam,
Tales successus Collegis ilia rumpunt,
Et, quoniam solos IANO se posse nocere
Desperant, socios technarum pharmacopoeos
Adsciscunt, quorum pars multo maxima dudum
IANVM odit, quod non, vt cetera turba medentum,
Ipforum potius, quam aegrorum, commoda curat.
Nam, Coi CELSIque premens vestigia, morbos
Oblatos mauult victus ratione salubri,
Quam medicamentis pretiosis vincere. Verum
Curandi modus hic facit, vt vegrandia lucra
Pharmacopoeorum multum imminuantur, et ipsi
Feruentes olim doleant frigere culinas.
Plane igitur mirum non est, quod protinus ista
Natio, quam lucri sitis implacabilis vrguet,
Vna cum Medicis in IANVM corripit arma,
Et, freta auxiliis, bello grassatur aperto.
IANVS, si morbi non numquam pharmaca poscunt,
Non ea, quae nulla sub conditione nocere
possunt, sed valida quae vi sunt praedita, praebet.

Pharmaca, ait, nusquam laedentia, pharmaca non sunt.
Nulli si qua obfunt, eadem nulli quoque profunt.
Idque, in quo nostrae cardo artis vertitur omnis,
Hoc est, vt Medicus, morbos longosve breuesve
Debellaturus, quae morbi, quaeque cubantis,
Quae medicamenti sint vires, aestimet, vnde,
Quae fugienda sibi sint, discat, quaeque sequenda.
Vis medicamenti vires superare cubantis
Non debet, quia vis minor a maiore peribit,
Et miser aegrotus fato rapietur acerbo.
Sed rursus eiusdem vires vim vincere morbi
Debent: morbus enim, victo medicamine, victor
Mox etiam aegrotum victum sub tartara mittet.
Adparet, quare IANVS non porrigat aegris
Mixturas illas, in quibus nihil est, nisi pulvis,
Quem MICHAEL capiti proprie vult esse dicatum (*)
Aut is, cui clarum quidam dat Marchio nomen (**)
Aut quem cancerorum lapides conchaeye ministrant,
Quale

(*) Specificum cephalicum Michaëlis.

(**) Pulvis epilepticus Marchionis.

Quales sexcentas alii praebere per annum

Consuerunt, quamuis aegroto nulla ferantur

Commoda, sed solus ditetur pharmacopoeus.

Pharmacopoei igitur per totam clamque palamque

Urbem dispergunt, ab IANO nulla iuberi

Pharmaca, quae non sint adeo vehementia, ut ipsos,

Quamuis robustos, valeant occidere tauros.

Quae voces tantis quosdam terroribus implent,

Ut IANVM, quasi carnificem, vitare, nec ullum

Curandum statuunt illi committere morbum.

Ast aliis, quibus est rerum prudentia maior,

Non leuis, et merito, dubitatio nascitur, an grex

Pharmacopoeorum de IANO vera loquatur.

Quod simul ac Medici cognoscunt, pharmacopoeis

Suppetias prompti festinant, et, nihil illos,

Quod non exacte sit verum, dicere, iurant,

Utque minus cautos cogant sibi credere, chartas,

In quibus ab IANO scribuntur pharmaca, monstrant.

Foedum illum morbum, qui vulgo Gallicus audit,

Oppugnans IANVS, quo virus perdomet acre,

Mer-

Mercurium corrodentem, cum pane subactum,
Hoc est, HOFMANNI, quo nunc Westphalia ciue
Laetatur, pilulas maiores, imperat aegris,
Horrendamque breui deuincit tempore pestem,
Numquam damna videns fumentibus inde creari,
Mercurium aequali quoniam ratione per omnem
Distribui massam curat. Namque uncia lymphae
Integra mercurii tria tantum grana remittit:
Additur huc panis bis cocti drachma: deinde
Vas, in quo massa est, prunis imponitur: ipsa
Autem continuo triu miscetur, abundans
Dum tenues humor sensim euanescat in auras,
Iamque ex hac massa, multumque diuque subacta,
(Quae quin mercurium rodentem partibus aequis
Dispensatum habeat, nulli dubitare licebit)
Triginta aequales pilulae formantur, et vno
Quoque die ex illis denae capiuntur ab aegro,
Sic, mane vt quinas, quinas vt vespere sumat.
Has igitur pilulas simul ac IANO esse frequentes
Collegae a fociis technarum, pharmacopoeis,

Resci-

Resciscunt, vrbis per vicos protinus omnes
Currunt, ac notis iuxta ignotisque, venena
Misceri ab IANO, narrant, pluresque legendos
Suppeditant libros, ex queis adpareat, inter
Toxica mercurium rodentem summa referri.

Auratum *stibii* fulfur, laticemque Lyaei,
Imbutum *stibii* vitro, qui laudibus amplis
IuxHAMO effertur, IANVS compluribus aegris
Exhibet, et praestat felices saepe medelas,
Praesertim, si quando cutem exanthemata pingunt,
Sunt morbilli, miliaria, variolaeque,
Et scabies, acri assidue prurigne vexans,
Quaeque de genere hoc, quae versu dicere non est:
Sunt, si quando nimis validis radicibus haerent,
Consueta alias rident medicamina morbi:
Quales quartanae sunt febres, asthmata, tussés,
Quae quo colluies ventrem distendit aquarum,
Morbus, quoque cutem fului color inficit auri,
Quae merito possunt Medicorum scandala dici.
Spec quoque, de *stibio* quae sunt, pharmaca IANI

Collegae infamant, tamquam sint dira venena,
Ac, quo plus fidei possint sua dicta mereri,
Et VITI recoquunt conuicia vana PATINI,
Et memorant, eadem supremi lege Senatus
Olim ex Gallorum regno proscripta fuisse.

Ad febres putridas *acidis mineralibus* esse
Pharmaca nulla magis pollentia, qui bene nouit,
IANVS, non guttas, sed drachmas, porrigit, ac sic
In coelum multos ipso ex Acheronte reducit.
Isdem hyperaesthesia minuit, qua nunc prope totus
Femineus sexus, nec non et magna virorum
Pars quatitur, seu mos viuendi deses inersque,
Quamlibet exiguos horrens fugiensque labores,
Siue cibi nimium lauti generosaeque vina,
Quae nostras onerant mensas sine lege modoque,
Seu calidi potus, horis paene omnibus hausti,
Seu desiderium coitus, quod erotica scripta
Mature in teneri pueri teneraeque puellae
Pectore succendunt, Veneris seu scaeva nefandae
Gaudia, quae proprio capiuntur corpore, neruos

Adficiunt, iaciuntque grauis mala femina morbi.

Hinc quoque Collegae impingunt noua crimina IANO,

Pharmaca debilibus qui tam violenta ministrat.

Aegros non dubiis ista ratione periculis

Exponi, et, Diuſum ni prouida cura resistat,

Aut natura potens, perpaucos esse futuros,

Qui leto tristi non demittantur ad Orcum.

Caeca, sed hoc ipso penetrabiliora capeſſit

Pharmacopœorum non nemo de grege tela,

Detestandus homo, cui fraudis plena dolique

Pectora sunt, et cui quaeuis occasio perquam

Accepta est, IANI qua possit laedere ſanam.

Vitrioli hic oleum, IANI quod charta iubebat

Praeberi, dextram simulans titubare, petentis

ante oculos menſae irrorat. Stupet ille, peruri

ſel paucis guttis duriffima ligna, rogatque:

an medicamentum hoc vxor mea ſumere debet,

quae febre ingenti (dicunt putridam eſſe) laborat?

an tuto id ſumet? Non ſic, vt dura peruſſit

ligna, etiam mollem oefophagum ſtomachumque
peruret?

Pharmacopoeus ad haec: Vxor tua fumere debet.
Sic IANVS iussit. Num tuto fumere possit,
Definire meum non est. Ego, pharmacopoeus,
Pharmaca, quae iubeor, cum summa misceo cura,
Cetera nil curans, profint, noceantve, necentve.
Incertus redit ille domum, vxorique, quid ipse
Viderit, audieritque ex vafro pharmacopoeo,
Narrat: at haec, IANO nuper sanata medente,
In quo nunc etiam fiducia tota reposita est,
Non dubitat potare datum medicamen, et intra
Paucas hebdomades crudeli libera morbo,
Technas impuri diuulgat pharmacopoei.

Vexantem articulos manuum genuumque pedumque
Morbum, qui cheragrae, gonagrae, podagraeque
vocalur
Nomine, Paeonia dicunt magis arte potentem.
Verum, vt iam non sint eius medicamina digna,
Fas tamen est rabidos saltem mulcere dolores.
Vtitur heic succis, aconiti e gramine pressis,
IANVS, nec vero duo tantum, vel tria grana,
Sed, quum res poscit, viginti et plura ministrat.

Collee

Collegae, hoc uti IANVM medicamine, laeti
Accipiunt. Neque enim dubitant, nunc tempus adesse,
Quo doctos etiam tandem convincere possint,
Suspectum exhibiti IANVM merito esse veneni.
Nulli hinc Peligni non monstrant verba poëtae (*):
Lurida terribiles miscent aconita nouercae.
At multi haec capiunt impune, nec inde necantur.
Respondent, ut non occidant ista repente,
Possè tamen fieri, properent ut fata suprema,
Quum nemo ignoret, reperiri lenta venena.
Pluribus in morbis multum prodesse *cicutae*
Succum inspissatum, crebra experientia testis
Est locuples. Quare IANVS quoque saepius illum,
Quamuis inuictum haud valeat deuincere cancerum,
Exhibet aegrotis, optatas fertque medelas.
Hoc quoque Collegae damnant medicamen, et eius
Contendant usum non posse vacare periculo.
Hinc Anyti periisse reum olim in Cecropis vrbe,

Ad

(*) *Metamorph. I. 147.*

Ac multos nuper iugulatos esse Viennae,
HAENIVS vt proprio quodam schediafmate notum
Fecerit, atque ideo dubium non esse, venenis
Quin sit letiferis vtiq̃ue adnumeranda cicuta.

Omnibus in febribus, quas inflammatio quaedam
Concitat, ab IANO praebetur *camphora*, *nitro*
Commixta, et multos sanat medicina salubris,
Quae lenit spasmos, et anhelos mitigat aestus.
Hinc quoque Collegis occasio commoda IANVM
Reddendi inuisum venit. Vtraque noxia clamant,
Et stomachi in primis valide infirmare tenorem,
Vt doleat, sumtasque minus bene concoquat escas.
Sed nuptis tacito garritur murmure in aurem:
Camphora cum nitro robur rapit omne, virosque
Efficit in Venerem nocturnaue praelia segnes.
Vsque licet tenera tractetur mentula dextra,
Glansque titilletur, nec sollicitantia desint
Bafia, vel Priami quae possint tendere alutam:
Non tamen efficies, lassum vt caput erigat illa,
Sed veluti madidum pendebit ab inguine lorum.

Ast ollis ingens percellit pectora terror,
Camphoraque et nitrum rapidos mittantur in ignes,
Criminis ut tanti vestigia nulla supersint.

Nec fatis hoc: diris ex illo tempore IANVM
Exercent odiis, nec turgens ira residit.

Nam iubet esse viris constantes femina nervos,
Quique alacres sua sint et prompti ad munia semper,

Ut, quoties faeva feruet prurigine cunnus,
Et coitus acres deposcit, protinus adfit,

Vomere qui rigilo peraret ter et amplius aruum,
Plenisque iniiciat spumantia femina riuis.

Ex gummoso aloës extracto (pondere duplo
Adiicitur Venerus, vel Iberus, sapo) paratas

IANVS habet pilulas, quæis blande soluitur aluus.
Vtitur his annos iam plures non sine fructu

Vir quidam doctus, scribendis atque legendis
Assidue libris intentus, membraque raro

Exercens, atque hinc tarda aluo saepe laborans.
Is veterem quemdam dum forte salutat amicum,

Vnum de IANI Collegis inuenit illic,
De

De medicamentis et morbis multa loquentem.

Huic pilulas quasdam sibi maxima commoda ferre

Narrat, quaeque in iis res insint, candidus edit.

Ille, extracto aloës audito, talibus infit:

Non possum te non miserari pectore toto,

Qui sumas aloën, cuius plane ignea vis est,

Quaeque omnes succos vehementer commouet. Inde

Caecae haemorrhoides tibi surgent, ex quibus ani

Fistula nascetur, ferro medicanda vel igni.

Iam, ergo pilulas, certissima damna daturas,

Vel flammis abole, vel perde rapacibus vudis.

Sed, medicamentum quia segnis postulat aluus,

(Alui segnities multorum causa malorum est)

En alias pilulas, quas tuto sumere possis!

Et praebet pilulas, Rufi de nomine dictas,

Compositae quae sunt aloë myrrhaque crocoque.

An non hunc iures omnem eiurasse pudorem?

Ohe! Iam satis est. Taceo, quae plurima restant,

Taedia lectori ne dicar longa tulisse.

Sed vobis, quod illi vultis, illud dico.

Ad